


Protheoremata ad inæqualitatem motus solaris ap-  
parentis demonstrandam. Cap. xv.



**A**D inæqualitatem uero Solis apparentem magis ca-  
pessendam demonstrabimus adhuc apertius, quòd  
Sole medium mundi tenente, circa quem, tanquam  
centrum terra uoluatur, si fuerit, ut diximus, inter  
Solem & terram distantia, quæ ad immensitatem stellarum fi-  
xarum sphaeræ non possit existimari, uidebitur Sol ad quod-  
cūq; susceptum signū uel stellā eiusdem sphaeræ æqualiter mo-  
ueri. Sit enim maximus in mundo circulus  $AB$  in plano signife-



ri, centrum eius  $C$ , in quo Sol consistat, &  
secundum distantiam Solis & terræ  $CD$ ,  
ad quam immensa fuerit altitudo mundi,  
circulus describatur  $DE$  in eadem superfi-  
cie signiferi, in q̄ ponitur reuolutio annua  
centri terræ. Dico quòd ad quodcūq; si-  
gnum susceptum uel stellam in  $AB$  circu-  
lo Sol æqualiter moueri uidebitur: susci-  
piatur & sit  $A$ , ad quod uisus Solis à terra  
quæ sit in  $D$ , porrigatur  $ACD$ . Moueatur  
etiam terra utcumq; per  $DE$  circumferenti-  
am, & ex  $E$  termino terræ, agantur  $AE$  &  
 $BE$ , uidebitur ergo Sol modo ex  $E$  in  $B$  si-  
gno, & quoniam  $AC$  immensa est ipsi  $CD$ ,  
uel huic æquali  $CE$ , erit etiam  $AE$  immen-

sa eidem  $CE$ . Capiatur enim in  $AC$  quodcūq; signum  $F$ , & con-  
nectatur  $EF$ . Quoniam igitur  $A$  terminis  $CB$  basis, duæ rectæ li-  
neæ cadunt extra triangulum  $EF$ , in  $A$  signum per conuersionē  
XXI. primi lib. ele. Euclidis, angulus  $FAB$ , minor erit angulo  $EF$   
 $C$ . Quapropter lineæ rectæ in immensitatem extensæ compræ-  
hendent tandem  $CAE$  angulum acutum, adeo ut amplius discer-  
ni nequeat, & ipse est quo  $BCA$  angulus maior est angulo  $AEC$ ,  
qui etiam ob tam modicam differentiam uidentur æquales, &  
lineæ  $AC, AE$  paralleli, atq; Sol ad quodcūq; signum sphaeræ  
stellarū